

gem TVam nec reliquos TVos omnes, amare, tueri definet atque fouere. Si quid praeterea valeo apud TE, *Vir Magnifice*, precibus, TE obsecro atque obtestor, ne in tanta et honorum amplitudine et negotiorum copia, solui vinculum, quod fauatrix mihi meisque natura TEcum esse voluit, patiaris, sed arctius, nouo addito perpetui TVi patrocinii beneficio, constringi iubeas.

§. VI.

*Indicantur et in varia diuiduntur genera fontes, e quibus Notitia Lusatiae Sup. Diplomatica potest hauriri.*

Ex his, quae sunt a nobis ante aliquod tempus disputata, apparet profecto, Lusatiae huic nostrae haud deesse materiam, qua et vtiliter (§. II.) et copiose (§. III.) neque adeo grauate (§. IV.) ad illustrandam Rem Lusatiorum Diplomaticam quis possit vti. Apertos etiam esse a SCHÖTTGENIO, edito *Inuentario Diplomatico*, optimos quosque tabularum publicarum fontes (§. IV.) grata memoria sumus profecuti, hoc tamen tribuentes veritati (§. V.), vt nec omnia potuisse SCHÖTTGENIVM diplomata comprehendere, quia et latebant et ferius diuulgabantur, nec voluisse, quia ad edita modo respiciebat, diceremus. Ordo iam et ratio postulat, vt fontes ipsos, et riuulos, SCHÖTTGENIO celebratos intueamur, scrutemur, et ad patriae vsum quemadmodum sint accommodandi, ostendamus, addamus denique, quorum spectandorum adiiciendorumque aut copia illi Litteratissimo Viro defuit, aut voluntas. *Duplicis* autem sunt fontes *generis*. *Alterum* est eorum, qui nihil habent alieni permistum, *alterum*, qui habent plurimum. *Illud* emanare atque diffundere se animaduertimus ex istis libris, qui hoc vno continentur, vt publicas huius nostrae Superioris Lusatiae tabulas memoriae posteritatisque tradant. *Hoc* excidere quasi guttatim et delabi ex aliis, quibus aut singulas modo, aut perpaucas et vnius generis, aut varias variarum prouinciarum, aut in transcurso et omnes et singulas, vel afferre, vel illustrare, vel commemorare tantum propositum fuisse videtur.

tur.